IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 196v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



non effugiam a te

Etenim illuc si volarem manus tua deducet me quia sine te transire non potero et me deductum oportebit quod potencia tua teneat aliter deciderem ad nichilum et sic non possum effugere presenciam tuam

Et cum viderem quod euadere non possem fugiendo cogitaui si euadere possem latendo Et dixi apud me conferendo forsitan tenebre conculcabunt .i. abscondent me et sic nox erit illuminacio mea in deliciis meis .i. consolacio mea quia libere et audacter fruar omnibus deliciis in illis tenebris

Et ondens quod nichil valuit cogitacio sua sic euadendo ait non bene cogitaui Quoniam que fiunt in tenebris non abscondentur a te quia nichil in eis consistens latet te unde eque tibi manifesta sunt que fiunt in tenebris sicut que fiunt in plena luce

Quod eque a te videatur res in tenebris ut in luce patet

9 Quoniam possedisti renes meos .i. interiores affectiones in potestate tua habens eas suscepisti me educendo me tamquam tuum de utero matris mee in quo tamquam in tenebris latebar

Et quia domine tante potencie et sapiencie es quod te fugere uel latere non possum ideo non fugiam sed Confitebor tibi confessione laudis et merito quia terribiliter .i. mirabiliter et incomprehensibiliter magnus es et opera tua sunt mirabilia mirabilia sunt opera creacionis quia de nichilo mirabilia opera recreacionis quia de proprio sanguine mirabilia opera iustificacionis quia sine merito mirabilia sunt opera miraculorum tuorum quia modo insolito mirabilia opera glorificacionis quia plena ineffabili gaudio et anima mea fide per te illuminata conabitur valde quantum poterit ad cognoscendum opera tua

Nota mirabilia opera dei